BRIX.
MENDATIONES
LAUTINAE.



T. Hewitt Key

Einladungs-Programm

zur

Oster-Prüfung

der

Schüler aller Klassen

des

Königl. Gymnasiums zu Brieg

und zu der

damit verbundenen Redeübung

Montag den 29. und Dinstag den 30. März 1847.

Anfang Vormittags um 8 Uhr, Nachmittags um 2 Uhr.

Ausgegeben

von

Dr. Karl Ernst Georg Matthisson,
Direktor und Professor des Königl. Gymnasiums,
Ritter des rothen Adlerordens IV. Klasse.

Inhalt:

Druck von C. Falch in Brieg.

Scholasticis rebus proludendi provincia cum mihi hoc anno obtigisset, visum est ex comicis Romanorum poetis, quibus aliquantisper operam dedissem, disserendi materiam sumere, quamquam fuerunt qui iactarent, Plautum quidem non attingendum esse, priusquam Ritschelii novam elegantissimi poetae editionem molientis curae exoptatissimae prodierint. Sed ut largiamur, neminem vel maiore apparatu critico instructum vel laetioribus ingenii dotibus praeditum ad Plautum emendandum accedere quam virum illum longe principem in his litteris, tamen novae illud editionis parandae consilium contrariam vim habere mihi videtur: qui enim sperari potest, unum aliquem virum vel doctissimum omnia quae temporum iniuria inflixit poetae vulnera radicitus persanaturum esse? Adeo non abstinendum a Plauti emendatione censeo, ut vel maxime omnibus omnium coniunctis viribus viam illi editori praemuniendam existimem, neque verendum videtur ne gratiam non ineamus ab ipso Ritschelio, dummodo maiore et diligentia et modestia utamur firmioribusque fundamentis insistamus quam novissimus ille Berolinensis editor, qui pauculis mensibus Plautinarum fabularum recensionem absoluturum se minatur, dignus Weisianae, si dis placet, audaciae imperitae sectator.

Pervellem equidem unum aliquod corruptelarum genus in Plauto uberius paullo persequi, sed quoniam ad eiusmodi opus tanta criticorum subsidiorum mole opus est, quanta uni Ritschelio suppetit, id tantum concessum fuit, ut versus aliquot ex omnibus promiscue fabulis decerptos pro hac tenui infirmaque parte ad pristinam integritatem reducere temptarem aut coniectura nisus aut codicum scripturis diligenter examinatis. Ac Palatinorum quidem (quos post Ritschelium notavimus Δ [veterem codicem] et Θ [Decurtatum]) scripturas ex utilissima Parei altera editione hauriri, constat inter omnes; praeterea Decurtati, quo libro duodecim tantum fabulae posteriores continentur, Pareana aliquanto diligentiore et pleniore collatione uti mihi licuit instituta ab C. E. Ch. Schneidero, professore Vratislaviensi, qui et Lipsiensem librum ($\Xi\varsigma$) excussit, longe illis quidem inferiorem sed et ipsum tamen non contemnendum. Utramque collationem vir non minus comitate quam doctrina insignis ante aliquot annos usurpandam mihi permisit. Denique quicquid Ritschelius hic illic ad supplendas Pareanas copias publici iuris fecit, ne quid me fugeret, diligenter cavi. Accipe igitur haec librorum a me adhibitorum signa:

Δp, Δr, Parei vel Ritschelii de Vetere Codice testimonium.

Θp, $\Theta\varsigma$ Parei vel Schneideri de Decurtato testimonium.

$\Xi\varsigma$ Lipsiensis liber a Schneidero collatus.

$\Omega\varsigma$, Editio princeps ab eodem excussa.

Inter corruptelas, quae Plauti fabularum lectionem impeditam reddunt, rarissime (si a Mostellaria recesseris) versuum ordinem turbatum invenias. Nonnullis locis, ubi versus erant traiecti in libris manu scriptis, vera ratio et facillimo negotio reperiri potuit et plerumque re-

perta est a viris doctis. Unus nunc locus mihi praesto est, quo in omnibus quas novi editionibus versus pravo ordine positi leguntur, quamvis facile sit verum ordinem restituere. Est is locus in Menaech. I, 2, 38 seqq. Menaechmus, qui uxori pallam surripuerat, gaudio ingenti exsultat delaturus eam ad amicam Erotium, ut convivium cum ea agitet et liberam noctem habeat: Peniculus parasitus prandio inhians eique hilaritatem prandium remorantem aegre ferens nolle sese dicit eum laudare nisi sciverit prius qua gratia i. e. qua mercede. Nam in domo Menaechmi prandium apparari non posse perspexerat parasitus ex litigio, quod esse Menaechmo cum uxore modo audiverat. Haec est sententia versuum 38 — 42 admodum plana, neque numeri vitium ostendunt, nisi quod v. 41 hercle ego propter hiatum a Weisio quidem toleratum tolerari non potest, quo de paullo post dicetur. Eorum tamen qui sequuntur versuum ita parum est expedita ratio, ut Bothius primus persentiscens ordinis turbationem ita se excipientes dederit:

42. Pen. Lítigiumst tibí cum uxore. hoc mi ábs te caveo caútius.
46. Me. Té morare, mihi quom obloquere. Pen. óculum ecfodito pérsolum
47. Míhi, Menaechme, si úllum verbum fáxo, nisi quod iússeris.
43. Men. Clam úxorem ubi sepúlcrum habeamus et húnc comburamús diem?
44. Pen. Áge sane igitur, quándo aequom oras, quám mox incendó rogum?
45. Díes quidem iam ad úmbilicum est dímidiatus mórtuus.
48. Men. Cóncede huc a fóribus etc.

Brevior est Weisius, qui temeritate perversissima totum locum a genuinis seclusit. Etsi multa sane sunt, quae offendant. Primum enim unde aptum esse dicamus in vulgata interpunctione illud ubi cum coniunctivo v. 43? neque omnino ubi haberi possit convivium probabile est quaeri a Menaechmo, quoniam nusquam alibi nisi apud amicam celebrari poterat: non de loco potius, sed de tempore ambigitur. Deinde incendere rogum i. e. diem convivando et pergraecando consumere est potius eius, cuius sumptu prandium paratur, Menaechmi igitur, non Peniculi qui conviva est. Neque quae sit vis verborum quando aequum oras satis perspicuum est; nec enim Menaechmus oraverat neque orare omnino Menaechmi, sed Peniculi esse videtur. Etiam obloquere v. 46 commodum explicationem non habet, et omnino et singula verba et integri versus etiam secundum Bothianam transpositionem omni nexu carere videntur, quem quid moror restituere uno versu transposito et personis recte dispositis:

41. Men. Pérge. Pen. non pergo hércle vero, nísi scio qua grátia.
42. Lítigium tibi ést cum uxore: eo mi ábs te caveo caútius.
44. Me. Áge sane igitur, quándo aequum oras, quám mox incendó rogum,
43. Clam úxorem ubi sepúlcrum habeamus, húnc comburamús diem?
45. Pe. Díes quidem iam ad úmbilicum est dímidiatus mórtuus.
46. Me. Té morare, míhi quom obloquere. Pe. óculum ecfodito pérsolum
47. Míhi, Menaechme, si úllum verbum fáxo, nisi quod iússeris.

Iam oras refertur ad parasiti interrogationem: ubi esuri sumus? (v. 38) et ad verba: nisi scio qua gratia (v. 41); ubi aptum est ex verbis: quam mox incendo rogum. Cum autem Menaechmus rogum incendere, sepulcrum habere et diem velle comburere (i. e. prandio parato reliquum quod est diei conterere potando et epulas trahere in multam noctem) se dicit, obloquitur Peniculus, hoc si velit, festinato opus esse, nam diem

iam dimidiatum esse mortuum i. e. inclinatum esse in pomeridianum tempus. Sic sententiae bene et concinne inter se cohaerent, remanent numerorum vitia, quorum primum v. 41 facile tollitur, vero (quod cum hercle copulatum habes Men. 1, 3, 33. 2, 2, 33. 5, 2, 69. Curc. 5, 3, 33. 47 et sescentis aliis versibus) pro ego rescripto, uti iam olim Bothius iussit. — v. 42 tibi est ΘΩς; de ceterorum librorum scriptura nihil compertum habemus, sed proba est verborum collocatio in Θ servata; tibi enim ex Vulg. lectione in ultima acutum non placet. oh Θς Vulg. Par. hoc Ως Lamb. Acid. Both. Weis. o Δp, quod genuinum est, si e praecedente voce interceptum addideris, ut sit eo i. e. eapropter. v. 43. Perincommoda est particula et, ut quae anapaestum pro iambo inferat. Libri Parei, ΘΩς non et habent sed atque, quod cum nullo modo versui aptari possit, et autem memoriae fide prorsus careat, utrumque excludendum esse patet, ut sententia per asyndeton decurrat Plauto familiarissimum quidem, sed saepissime librariorum male sedula cura remotum. Veluti quod libri tenent atque Bacchid. 3, 3, 95 ab Hermanno in novissima huius fabulae recensione in que mutatum, delendum potius est ut Aul. 4, 10, 54. Item Curc. 2, 3 72 [1] ac, Capt. 3, 4, 114. Merc. 1, 2, 80 et Rud. 3, 4, 64 et eiiciendum erat. Etiam Mil. Gl. 2, 4, 27 et dudum a Bothio de coniectura, nuper a Ritschelio Ambrosiani quoque libri fide deletum, non recte Lindemannus in iterata trium fabularum editione servavit, similiter lapsus Capt. 3, 4, 125 servato atque, quod aut exstirpandum aut istinc in istim [2] mutandum erat. Merc. 2, 4, 29.

---

[1]) ubi pro adeamus recte Lambinus abeamus restituendum iudicavit, cum praepositio ad non habeat quo referatur. Earundem praepositionum permutatio in aliis quoque verbis evenit, ut in abripio Curc. 5, 3, 17:

Hócine pacto hic índemnatum atque íntestatum me ábripi?

ubi Vulg. Par. male adripi cf. et Ter. Andr. 4, 4, 47. Adel. 2, 1, 27.

[2]) quae forma quamquam nunc fere oblitterata est in versibus Plautinis, tamen aliquoties restituenda videtur. Certe Hermannus Capt. 2, 1, 10 in tetr. cretico:

Cértum erat. Cóncede huc. Ábi tu istim. Obnóxii

recte eam reduxit pro eo quod interpretis est: abite ab istis. Contestatior sane forma illim est, recipienda his versibus: Poen. 5, 2, 27. Men. 5, 2, 48. Merc. 3, 1, 13. Ter. Hec. 3, 1, 17.

Qui illím sexennis périerim Carthágine.
Hinc stas, illim caúsam dicis. Si ílle quid delíquerit.
Ly. Qui? Pa. Quía illim unde huc advécta sum, malís bene esse sólitumst.
Vix me íllim abstraxi atque ímpeditum in eo éxpedivi animúm meum.

v. 1. illim Δq illum Θps. 2. illim ΔΘp illinc Δp e corr. a sec. m., illim Θs, sed m cum rasura. 3. advecta huc Vulg. numeris perversis; verum ordinem servavit Θs illim Mssp. 4. Bentleius de suo dedit: vix me hinc abstraxi, sed Bembini lectio illi (i. e. illī) ostendit illim veram esse scripturam. — Hinc vel sine libris illim pro illinc rescribe Mostell. 2, 2, 36.

et heús iube illos íllim, amabo, accédere.

Ambiguum est iudicium de versu Poenuli 5, 2, 98:

Surréptus sum illinc: hic Antidamas hospés tuus. Non minus enim hic cum Pareo expungi quam illim reduci potest. Quin et apud Ciceronem quater haec forma invenitur, Epist. ad Attic. 9, 14, 2 illim equidem profectum, ubi Orelli quidem illinc recepit, sed cod. Medic. et duo Oxonienses illi me quidem profectus exhibent, quae recte distincta illim confirmant. ib. 7, 13b, 7 Orelli quoque illim suscepit. ib. 11, 17, 3 Orelli illinc, sed Med. Oxonn. illi, quod ipsum illim est. Denique in Philipp. 2, 31, 77 abiecisse illim Wolf. (probante Garatonio) Orelli. Apud Gellium hunc locum citantem Mss. praebent illi, omissa lineola obliqua.

Eu. Mélius sanus sís. Ch. Vale et vince ét me serva. Eu. Ego fécero.

prius et, quo prosodia violatur, expunge cum ΘΞΩs.

Nescio an etiam in Mil. Gl. 2, 1, 29 occépit suppalpárier

vino, órnamentis ópiparisque obsóniis

que delendum sit auctoritate Θς. Denique copulam abiicias Men. 1, 4, 4 et 5, 7, 20:

Ego [et] Menaechmus ét parasitus éius. Cy. Iam isti súnt decem.

Immo [et] operam dabo ét defendam et subvenibo sédulo.

v. 46. facile quidem tolli possit hiatus forma obloqueris, attamen satis excusationis habet ab interpunctione et personae mutatione. Persolum, quae vox primo adspectu nequaquam convenire videtur exitui versus cretico, minus displicebit, si comparaveris Pellaeo Asin. 2, 2, 67 (in exitu troch. tetr. cat.), hymenaeum Cas. 4, 3, 2. 8. (eadem versus sede. cf. Kampmann. res milit. p. 22), gynaeceum Mostell. 3, 2, 72 (finis senarii), simulque reputaveris, quam facile tale compositum ad analogiam vocabulorum innúbus, pronubus (nūbo), cognítus, agnítus (nōtus) accentus vi in antepaenultimam retracti a primitiva prosodia declinaverit.

Certissimum idemque facillimum emendationum genus id est, si codicum litteris rectius distinctis vera scriptura restituitur, ad quam rem probandam inprimis appositus est versus Pseud. 1, 2, 16:

atque heri ante dixeram omnibus dederamque eas provincias.

Verba sunt Ballionis servitiis pigritiam et desidiam exprobrantis. Iam heri, inquit, vestras provincias vobiscum communicavi, sed negligentia vestra me cogit, ut vos rursum vestrum officium commoneam. In qua sententia quid velit ante dixeram non satis perspicuum est, nisi quis ita interpretetur: dixi quae vobis efficienda essent antequam opus aggrederemini, quo quid fingi potest absurdius, quum servorum operam semper eri imperium praecedere necesse sit. Accedit quod metrum male habet, aut enim atque (quod tolerabilius, si nulla alia via pateret) aut cum Weisio ante (quod non ferendum) primam corripit in versu iamb. octon., qualem esse vicini versus evincunt, qua re perperam Both. trochaicum versum effinxit, antedixeram uno verbo scriptum exhibens. Sed codices Vulgatam ab omnibus quod equidem sciam repetitam nequaquam tuentur, Δp enim atque heri a me dixi omn., Θps heri a me dixeram omn., quae si modo recte intelligis, sanissima sunt et ita distinguenda: here iam edixeram (vel heri, quae vox plerumque apud comicos pyrhichii loco est), errore enim Δ edixi habet. Est vero verbum compositum multo aptius hic quam simplex et imperio erili peculiare, unde et edictio v. 39 eiusdem scenae et Mil. 2, 2, 4. Nunc adeo edico omnibus, ib. 3. 2, 28 atque ut tu scire possis, edico tibi. Cf. et Bentl. ad Ter. Andr. 1, 2, 33. Emendationem, si emendare dici potest litteras recte dividere, confirmat alter Pseudoli versus 3, 2, 66 atque ádeo tu qui meús es, iam edicó tibi, ubi Mssp., quibuscum consentit Θs, praebent: est am edico, voce iam similiter obscurata. Iam versus sine omni licentia sic recitandus est:

Atque hére iam edixeram ómnibus dederámque eas províncias.

Non minus facili negotio in eadem Pseudolo veram scripturam poetae reddere mihi videor 4. 1, 41:

Sed propera mihi monstrare ubi ostium lenonis aedium.

Sententia est expedita, numeri troch. tetr. cat. facili transpositione restitui possent:

Séd propera mihi mónstrare ostium úbi lenonis aédium

nisi Δp [3]) haberet: ubi sit os leno aed., clarius etiam Θs ubi sit ostenonis aed. Ut supra, hic quoque Θ veram poetae manum servasse, perspicuum est. Scribe igitur: Séd mihi propera mónstrare ubi sit ós lenonis aédium. In quibus os aedium comice dictum pro ianua quamvis nullo altero apud comicos exemplo nitatur, tamen non minus verum est, quam multa alia ridicularia quae semel leguntur. Properá mihi ob invenuste acutam ultimam transposui. Etiam in Asinariae versu 3, 1, 13:

Ergo una pars órationis dé die dabitúr mihi?

libri medelam afferunt. Colloquuntur mater et filia, lena altera, altera meretrix, quae cum multis queratur suas fortunas, quod ab illo, quem amet, prohibeatur, filiae dicacitate fessa mater in haec tandem verba erumpit, quorum sententia est: wirst du mich auch einmal zu Worte kommen lassen? Sed verba Vulgatae et in metrum peccant, nam versus sit troch. necesse est (in tota enim scena hoc metrum regnat), et initium ergo una difficile est explicatu. Est autem Vulgata infelicissime ex his vestigiis Δp efficta: Egoua pars, in quibus agnosco potius Ecqua pars, qua scriptura et numeris et sententiae satisfit. Cf. Menaechm. 1, 2, 26 Héus adulescens, écqua in istac párs inest praedaé mihi?

Intricatior est versus Epid. 1, 1, 18 scriptura, ut tamen et hic librorum memoria ad verum ducere videatur. Vulgata habet:

Th. Quid tíbi vis dicam nísi quod est? Ep. ut ílla respondeás probe.

Quaesiverat Epidicus ex Thesprione, num perpetuo valuisset. Qui cum varie respondisset, Epidicus irridens ei homines varia valetudine ut pantheras et capras placere sibi negat. [4]) Ille vero his facetiis non magnopere delectatus, infert subiratus: quid tibi vis sqq., quae verba ut supra ex Vulgata repetii, sic sane a poeta profecta esse nequeunt, nam neque ullo modo respondeas tribus syllabis efferri potest, neque posterior versus pars commodam patitur explicationem, neque ea omnino est librorum scriptura. Δp enim praebet: ut illi respondi probe, quae quoniam intelligi non posse videbantur, varie mutata sunt, nec tamen magis nobis placent omnes hae variae coniecturae quam Epidico varia Thesprionis valetudo. Both. scribit: utilia responses probe. Iacobus: utile responde. Th. probe. Lindemannus: ad illa responde: quibus omnibus nihil frigidius nec languidius excogitari potest. Nec probatur nobis C. Fr. Hermanni ratio integrum versum Thesprioni assignantis:

Quíd tibi vis dicám nisí quod est? út tibi respondí, probe.

in qua scriptura primum displicent ictus sat invenuste positi, quo nomine Iacobi quoque ratio reiicienda. Porro qui prius dixerit varie, quo tandem pacto eum postea probe se valere dicere in animum inducas? Mihi quidem versus ita legendus videtur:

Th. quid tíbi vis dicam, nísi quod est? Ut válui, respondí probe.

ut Thesprio haec dicat: ich kann dir's doch nicht anders sagen, als wie es sich wirklich verhält. Wie

[3]) Sic enim interpretor Parei anceps testimonium Mss., nam alterum Palatinum discrepare, Schneideri testimonio mox afferendo compertum habemus. Omnino saepius Pareus Mss. antestatur, ubi alterutrius tantum fides adhibenda erat.

[4]) intelligit Epidicus homines virgis varios (Mil. Gl. 2, 2, 63) quales facturum se esse minatur leno Pseud. 1, 2, 13: Ita ego vostra látera loris fáciam ut valide vária sint.

mein Befinden war, das habe ich dir geantwortet. Difficilis tamen est vocis probe explicatio, cuius duplex via patere mihi videtur. Aut enim probe ad respondi pertinere existimandum est, ut sit: sincere et serio tibi respondi, quapropter non debebas mihi illudere. Aut Epidico dandum est timenti ne aegre Thesprio ferat illam de verberibus cavillationem eiusque iram sedare volenti: Na, 's ist ja gut, vel: beruhige dich. Neutrum tamen Plautinum usum redolet. Quid vero, si probe omnino non sit a Plauto profectum? Et sane proclivis coniectura est, glossam esse ad verba sequentis versus: valet pugilice atque athletice, quae ex margine in ordinem verborum recepta vocabulum genuinum expulit. Sic igitur versum olim exiisse credibile est: ut válui, respondi tibi. Et valere quidem non semel oblitteratum est in fabulis Plautinis, quoniam sine dubio rectissime quamquam nemine obsequente coniecit Camerarius in eadem scena v. 7 quid tú agis? ut vales? nam in Vulgata: quid tu? a'gis ut velis? coniunctivus modus prorsus praeter rationem et linguae usum positus est, repugnans etiam Plautinae consuetudini, quae postulat non agis ut vis? sed agis ex sententia? Iungenda esse |quid tu agis? disci poterat ex eiusmodi locis quales sunt Curc. 2, 1, 20 quid agis? Pers. 1, 1, 17 quid agitur? Rem conficit comparatio versuum 15 et 18 eiusdem Epidici scenae: quid agis? (sic Mssp., Vulg. ais) perpetuon valuisti? — Quid erilis noster filius (sc. agit)? valet? Moris enim Romani erat primum in universum quaeri quid quis agat, deinde singillatim de valetudine. Compara et Pers. 2, 5, 8 ubi Toxilus: quid agitur, Sagaristio? ut valetur? et 2, 2, 20 Paegnium, deliciae pueri, salve, quid agis? ut vales?

His locis accedat Poen. 5, 4, 1:

Ad. Fuit hódie operae pretiúm eius, qui amábilitate animum ádiiceret

ubi quamquam hiatus praemisso pol (pol fuit hodie operae prétium eius) facile tolli posset, tamen praesertim cum et alibi apud Plautum legatur: est operae pretium alicui [5]), et hoc loco Θs non eius praebeat, sed cuius, haud cunctanter repono cuivis. Attamen cum initium huius scenae, maxime si numeros spectas, nondum satis perpurgatum sit, placet id emendatius paullo huc perscribere:

Ad. Fuit hódie operae pretiúm cuivis, qui amábilitati animum adiiceret,
Oculis epulas dare, délubrum qui hodie órnatum eo visére venit.
Deamávi ecastor illic hodie lepidíssuma munera méretricum,
In súo quidque loco síta munde,
Dígna divá venustíssuma Vénere.
Neque cóntempsi eius opés hodie: tanta íbi copia venustátum áderat:
Arábius murrhinusque ómnia odor complébat. Sordere haút visust
Festús dies, Venus, nec túum fanum: tantús clientarum erat ibi numerus,
Quae íllo ad Calydónium vénerant Vénerem.
An. Certo énim quod quidem ád nos duás, soror, attínuit.
Pulcraé, praepoténtes pacis divae fúimus
Neque hódie ab invéntute ibi irridiculo hábitae,
Quod pól ceteris omnibús, soror, est fáctum.
As. Malim istuc aliis ita videátur quam utí tu.

---

[5]) Amph. prolog. v. 151 adeste! Erit operae pretium hic inspectantibus Jovem et Mercurium facere histrioniam.

Sorór, te collaúdes.
An. Spero équidem. Ad. Et pol ego. Quum ingeniis quibus súmus atque aliae cógnosco,
Eo súmus gnatae genere út deceat nos ésse a culpa cástas.
Ha. Iupitér qui genus colis álisque hominum, per quém vivimus vitálem aevom,
Quem pénes spes vitae súnt hominum,
Dá diem hunc sóspitem, quaéso, rebús meis.
Et quíbus annos multós carui quasque é patria perdidi parvas,
Redde hís libertatem, ínvictae praemíum ut esse sciam pietati.
Ag. Omnía faciet Iupitér faxo: nam mi ést obnoxius, mé metuit.
Ha. Tace quaéso. Ag. Ne lacrumá, patrue.
An. Ut vólup est homini, méa soror, si quód agit cluet victória,
Sicút nos hodie intér alias praestítimus pulcritúdine.
Ad. Stultá, soror, es magis quám volo. An veró pulcra videre, óbsecro,
Si tíbi illi non os óblitumst fulígine.
Ag. O pátrue, mi patruíssume.
Ha. Quid ést fratris mei gnáte? quid vis? éxpedi.
Ag. At énim volo hoc agas. Ha. át enim ago istuc. Ag. pátrue, mi patruíssume.
Ha. Quid est? Ag. ést lepida et lauta, út sapit! Ha. Patris hábet ingenium quód sapit.

Versus sunt plerique anapaestici, interiectis creticis, bacchiacis et iambicis numeris. Anapaestici tetrametri acatalecti sunt 1 — 3, 6 — 8, 16, 18, 21 — 23, unus catal. 17, dimetri 4, 19, 24. Cretici catalectici: 5, 9; unus catal. 20. Bacchiaci tetrametri 10 — 14, unus dimeter 15. Iambici octonarii 25 — 27, 31, 32; trimetri 28, 30; unus dimeter 29. Caussas emendationum quam potero brevissime persequar. v. 1 qui etsi ictum non habet, tamen anapaesticis condonandum videtur, quod utitur ea monosyllaborum sub ictu positorum licentia, quae cernitur in correpta vocali legitimoque hac conditione hiatu. v. 2 eo non potest non pertinere ad ornatum; itaque aut ea re explicandum i. e. amabilitate, aut ea rescribendum est. — v. 3 ego hodie libri. Ne quis malit transponere potius: deamávi ego ecástor, quam delere ego, moneo ecastor primam producere, id quod Lindemannus ad Mil. Glor. 4, 2, 51 et 71 in editione trium fabularum novissima oblitus est, quamquam olim ad Amphitr. 1, 3, 10 vere et exemplis aliquot additis primam productam affirmaverat. v. 4 in Vulgata et libris est sexti pars posterior:

Tanta íbi copia venustátum aderat: in súo quaeque loco síta munde

quae verba etsi iustum tetram. anapaesticum efficiunt, tamen quoniam cogitari non posse videtur quaeque venustas in suo loco sita nec libri quaeque exhibent, sed in Mssp. Θs quique (Ξs quoque) est, quo quidque significari solet, de muneribus haec potius a meretricibus Veneri allatis dici videbantur, quapropter hunc versiculum post tertium posui. — v. 6 post Lipsium opes rescripsi, cum opus metro officeret. — v. 7 omnia adoptavi traditum a veteribus editionibus, cum complevit obiectum postulare videretur. Δp Vulg. omnis. In fine verborum ordinem: haut sordere visust transposui cum Both. Weis. — v. 8 libri versu invito: tantus ibi client. — v. 9 ad creticum supplendum illo inserui. A versu

10 — 14 utut mea emendandi ratio audaculi aliquid habere videri potest, reputanda est et librorum scriptorum in his versuum generibus depravatio et quam parum sufficiant aliorum conamina, qui ante me hos versus attigerunt. Haud gravate tamen audaciae convictum me confitebor, si quis leniore medicina dignos Plautina arte versus effinxerit. Itaque in primum bacchiacum reduxi soror, quae vox vulgo in versu sequente ante fuimus posita est; compellationes enim aptius et usitatius initio orationis collocantur, vide v. 15. 20. 27. 31 (Vulg.) 35 etc. Deinde graviores turbae incipiunt: prorsus enim incredibile est praepotentes, pulcrae pacisque potentes hoc ordine coniuncta esse a Plauto, ex quibus, quoquo vertis, nullis machinis tolerabiles numeros extrices, quod est certissimum corruptelae indicium. Ut autem versu 19 in ΘΞs quem apud penes legitur, ita hic quoque et interpretatio et genuina Plauti manus coniuncta sunt a scribis. Potentes enim adscriptum est ab iis, qui voti, iussi, coeli (Pers. 5, 1, 3) potentes legere apud poetas meminerant, praepotentes vero non noverant. Utque plerumque interpretatio addita genuina verba expulit, ita hoc loco intercidit vocabulum, quo significabatur, cuius pacis potentes virgines factae sint. Quae reputans divae inserui, memor versus in hac ipsa fabula 1, 2, 43 assúnt omnia híc quae ad deúm pacem opórtet (sic enim scribendus hic versiculus videtur. Vulg. sunt hic omnia). Praeterea pulcrae ob numeros praeposui. — v. 12. hodie inserui. — v. 13. libri: te soror. Iam alii transposuere. — v. 17. gnatae non solum ubi substantivum, sed etiam ubi participium est, hac forma scribendum esse codices evincunt. Veluti Poen. 1, 2, 20. Si tacuisses, iam istuc Tacco non natum foret, et ib. 5, 2, 78 Carthagini ego sum natus ex Θs reponendum est gnatus. Et reperitur ea forma ubique fere in Parei editione, qui libros suos secutus esse videtur. — v. 18. Iupiter media vocali elisa in anapaesticis et trochaicis plenis spondeum efficit, cf. v. 23 et Pers. 5, 1, 3:

Cúm bene nos, Iupitér, iuvisti díque alii omnes coélipotentes.

Vix autem haec licentia locum habebit in senariis, quare Cas. 2, 5, 27. Sic tándem si tu Iúpiter sis emórtuus, recte Bothius post Acidalium mórtuus correxisse videtur. Simili propemodum pronunciatione videtur Hercules usus esse in Stich. 1, 3, 70. Herculés te amabit prándio, coená, cibo. Epid. 2, 1, 11. Neque séxta aerumna acérbior Herculí quam illa mihi obiéctast, quamquam Hermannus in elem. p. 315 inserto pol ante Herculi senarium effecit, postrema verba in creticum dimetr. transponens: quam ílla obiectást mihi.

19. libri: hominum omnium et 20: rebus meis agundis. 21. et praebuit Ξs ut Θs; editiones copulam necessariam omittunt omnes. — v. 22. suaviores forent numeri hac transpositione: ínvictae pietáti praémium ut ésse sciam. — v. 26. hodie nos Vulg. nos hodie recte Pareus. — v. 26. illi Mssp. illic editiones. — 29. o patrue vulgo geminatur, commode semel edidit Pareus. Similiter versu sequente post mei gnate libri adiiciunt: mi gnate: utrobique numeri repetitionem repudiant. Denique v. 32 libri: ingenium patris habet. Perquam dubia est scriptura v. 33 ubi Vulg. sic:

Quae res? iamdiu edepol sapientiam tuam abusast haec quidem.

Θs: haec qui quē abusa est, a quibus non dissentiunt Mssp. unde id certe patet, vulgatum verborum ordinem vix verum esse. Nisi gravior corruptela accidit, ita legendum est: Quae rés? iam diu edepól tuam sapiéntiam haec quidem abúsast.

Qui sequuntur versus, ad unum omnes sunt trochaici tetram. catal.

Haud pauci versus sunt corrupti defectu syllabae vocisve alicuius similitudine vicini vocabuli interceptae. Pseud. 1, 5, 92. 93.

Numquam édepol quoiquam súpplicabo, dúm quidem
Tu vives; tú mihi hercle árgentúm dabis,
Abs té sumam .....

Pedem intercidisse posterioris senarii quivis facile videt, etsi Weisius plenum habuit. Both. sic eum explere conatus est: tu víves, tú, tu, tú mi hercle arg. d., sed quae est haec gradatio: tu, tu, tu dabis, abs te sumam? Probabilius certe temptes: tu víves: tu mi hercle ípsus argentúm dabis; sed multo certius hoc videtur:

Tu vívos vives: tú mi hercle argentúm dabis.

cf. Pseud. 1, 3, 103 quía edepol, dum ego vívos vivam, númquam eris frugí bonae. Menaech. 5, 5, 58. Sálvus sálvos álios video: nóvi-homines, álloquor, ubi qua ratione hiatus molestus tollendus sit, mihi adhuc in incerto positum est. Eadem corruptela laborat versus Epid. 1, 1, 29: Ep. Sérione dicis tú? Th. Sério inquam. Hostés habent, ubi quod Iacobus Thesprio pro tu scripsit, non recordatus est, semper hoc nomen trium syllabarum esse creticumque efficere. Repono: Sérione dicis ístuc? syllabam is enim semel tantum scripserant librarii. cf. Mil. Glor. 2, 2, 30 dixi ego istuc. Sic Stich. 4, 1, 46 tum in ΘΞs post tu intercidit. Et Aulul. 3, 4, 3:

Véluti Megadorús temptat me-ómnibus miserúm modis

non satis est méd cum Weisio scripsisse; probabile est me in libris omnino deesse, quoniam Pareus non habet: hinc recte veroque verborum accentu restituto ediderunt Both. et Goellerus: Véluti me Megadórus temptat etc. Stich. 1, 2, 44: Pudicitia ést, pater, Eós .. magnificáre qui nos sócias sumpserúnt sibi, ad trochaici versus initium supplendum patet vel sine libris eós nos legendum esse, quae coniectura firmatur Θs scriptura enos, quam affert et Pareus ex suis Mss.

Persae prima scena permultis vitiis laborat, quorum maior certe pars probabili ratione emendari potest, nisi quod secundus versus ita mutilus ad nos pervenit, ut nunquam Plautina manus pro certo restitui possit, nisi Ritschelius ex suis copiis medelam attulerit. In Vulgata sic legitur:

Superavit aerumnis is suis aerumnas Herculis

attamen is in ΘΞs deest (delendum etiam Epid. 1, 1, 36. Si in síngulis stipéndiis is ad hóstes exuviás dabit); iidem libri suppeditant Herculi, in quo et Parei de suis Mss. testimonium consentit. Est haec vetus genitivi formá minime spernenda, de qua v. K. L. Schneider's lat. Grammat. II, 1 p. 167 et Struve über lat. Decl. p. 26g., cuius aliquot exempla non modo in Plauti fabulis, sed plura etiam in Ciceronis scriptis reperiuntur, quae diligenter indicavit Otto ad libros de finn. II, 35 init. Plautina exempla haec habeto: Euripidi Rud. 1, 1, 4. Stratippocli Epid. 1, 1, 27. Periphani ib. 3, 4, 73. Periplectomemi Mil. Glor. 4, 1, 22 ubi cf. notata ab Lindem. Herculi Rud. 3, 5, 42 quamquam de huius versus scriptura scrupuli moveri possunt, quem in Vulg. sic exaratum:

iam hoc Herculi-est, Veneris fanum quod fuit,

Reizius transpositione non improbabiliter correxit:

Hoc Hérculist iam, Véneris fanum quód fuit.

Praeter subsidia ab Ottone congesta cf. etiam Varro de L. L. VII p. 110 ed. Bipont. et Reisig's Vorlesungen p. 111 et not. 120. Persae igitur versum facile intelligitur esse iambicum tetr. acat., quales et proximi sunt, primaque parte integra in fine aliquid desiderari, quod sic fere restituere possis:

Superávit aerumnís suis aerúmnas Herculi inclutas.

v. 13 Vulg: Quís illic est qui cóntra me astat? To. quís hic est qui contrá me astat? cum hiatu ante extremum pedem intolerabili, quem Weis. forma med removere conatus est. Sed cum Θs me contra exhibeat, praestat scribere: quís istic est qui mé contra astat? cf. Epid. 4, 2, 4 quís istaec est quam tu osculum mihi ferre iubes? Excidit igitur syllaba ist post quis et eadem scribarum negligentia Plauto obfuit quam supra in Epid. 1, 1, 27 deprehendimus. Numerorum mutationis (iambicos enim excipiunt trochaici octonarii) causa est posita in mutuo adspectu indeque variato sermonis colore.

v. 15. Vulg. To. Ís est profecto. Sa. Eum ésse opinor. To. cóngrediar. Sa. contrá-aggrediar.

cum hiatu Plautina arte non minus indigno quam quem modo sustulimus. Neque in transpositione Weisii aggrédiar contra hic acquiescendum iudico, quando unanimo consensu Mssp. ΘΞs congredior, quod etsi non magis verum est, tamen ad verum ducit. Cum enim futuro opus sit, aggrediar autem a memoriae fide non magnopere habeat quo commendetur, suspicor, Plautum dedisse congredibor, praesertim cum et alibi hoc verbum ad quartam coniugationem flexerit. Aggrediri legitur Trucul. 2, 7, 9 (cum Θs) et ib. vers. 7 (secundum Δp, qui aggrediari, quod scriba in Θs mutavit in aggrediar. Pareus ex Θ afferens aggrediri fallitur). Merc. 2, 1, 24. Rud. 3, 1, 19 (cum Θs; posteriore loco Ξs aggredier). aggredīmur Asinar. 3, 3, 90. Rud. 2, 1, 10. Congrediri numeri expostulant Aulul. 2, 2, 70 etsi in Mssp. est congredi. progrediri Cas. 5, 1, 9 et a Bothio recte positum in Menaechm. 5, 2, 2. regredīre (Δp degredere) metrum bacchiacum postulat Cas. 3, 5, 40. Quin et ipsum futurum congredibor necessarium est Mostell. 3, 2, 96 et Poenul. 3, 4, 32 forás egredier vídeo lenoném Lycum, praestat égrediri (foras pyrrhichii loco est) restitui quam Plauto inusitatam medio versu infinitivi formam inferre, praesertim cum libri suppeditent: egredietur, quod ex male intellecto scribendi compendio ortum est.* Sed Asinar. 3, 3, 24 ubi in Vulg. aggredīre est, scribe:

Etiám tu, ere, istunc ámoves abs te átque me ipse aggrédere.

Ita enim ΔPall.sexp. nisi quod ipse me exhibent, quod non erat retinendum.

v. 19. Sa. Nimis stúlte amicis útere. To. quid iam? Sa. quia iam imperare oportet

solus Bothius verum vidit, cum languida verba quia iam aut gemina scriptione aut interpretatione orta eiicienda censeret: Weisius frustra quia tuetur. Primus enim post caesuram pes est quid iam ímp., non quĭd iăm quia ímp. Sed Weisius, ni fallor, nihil obstare ratus quominus quartus pes non purus esset, invita et Plauti et Terentii arte pedes sic dispescuit: útere quid || iam quia ímp. Quasi vero hac minutiae disci non possent ex Hermanni scriptis vel ex Bentleii ad Terentium annotationibus! Quamquam ut nunc sunt tempora ad

indicandum quam ad discendum calidiora, pervulgatus est mos ignorare quae pro elementis habentur. Quin et Lindemannum, quamvis sescenties Hermanni libros antestetur, in eiusdem erroris societate reperio, nam in scena Curculionis nuper ab eo emendata leguntur similes iambici septenarii, qui ante caesuram spondeum habent, non iambum, ut lex postulat. Veluti v. 16 scribi iussit: Pol, út tu praedicás, n o n h u i c vindémia satis est sóli, ubi melius rem gessit Weisius:

Pol, út tu praedicás, vindemia huíc non satis est sóli,

qui cum et ipse in quarta sede spondeum posuit, excusationem habet a vocabulo in caesura non finito. At quam apte v i n d e m i a praeponatur, n o n ante s a t i s collocetur, re ipsa satis patet. Neque tamen Weisio obsequendum censeo, ut qui eiecerit, quae maxime ad sententiae vim conferant. Vulgata enim, quacum Mss. faciunt, haec habet: Pol, ut tu praedicas, vindemia haec huic anni non satis est soli, unde t u deleto, e s t transposito versus sic scribendus est:

Pol út praédicas, vindémia haec huic ánni non satis sóiist.

v. 20 ex Mssp. $\Theta\Xi$s n o n t e transponendum est.

v. 26 To. Quid ĕrgo faciam? dísne advorser? quasi Titani cum dis belligerem.
Quibus sat esse non queam?

Ita Vulg. et codd., metro plane everso, quamquam Weisius trochaicum octonarium deprehendisse sibi visus est, in quo non vereor ne quemquam assentientem habeat. Prior tamen versus pars integra videtur, etsi dubitatio est, trochaicus sit iambicusne: utrumque statui posse videtur, cum iambici praecedant, trochaici sequantur. Trochaicum tamen metrum hic ordiri probabilius est, cum Toxilus, cuius primariae in hac scena partes sunt, servitutem amicae sempiternam timens, tam fervida et concitata oratione utatur, ut numerorum mutatio multo aptius incipiente quam continuato Toxili sermone instituatur. Si igitur numeri sunt trochaici, particulae e r g o prior syllaba corripitur, quod etsi non sine exemplis, duriusculum tamen est et ordo sententiarum alio ducere videtur. Toxilus cum antea Sagaristioni dixisset, saucium se factum esse in Veneris proelio corque suum sagitta a Cupidine (c u p i d i n e littera minuscula male Weisius, cum deus significetur) transfixum esse, miratus ille quaerit: iam servi hic amant? Tum Toxilus, q u i d e g o f a c i a m? inquit; disne advorser, quales sunt Venus et Cupido, quibus par esse nequeam? — Ex qua interpretatione non modo illud consectarium est, e r g o alienissimum esse a Toxili mente, sed, quod multo gravius est, T i t a n o r u m mentionem ineptissime hic iniici; non enim de Titanorum cum Jove certamine agitur, nec omnino Jovem intelligit Toxilus, cum dicit: d i s n e a d v e r s e r? sed eos deos, quorum ioculari appellatione Pistoclerus illudit praeceptori Lydo Bacch. 1, 2, 8:

Amór, Voluptas, Vénus, Venustas, Gaúdium,
Iocus, Lúdus, Sermo, Suávisaviátio

quique commemorantur Curcul. 1, 1, 3:

Quo Vénus Cupidoque ímperat suadétque Amor.

cf. etiam Mostell. 1, 3, 5 — 7. Patet igitur verba q u a s i T i t a n i c u m d i s b e l l i g e r e m ascripta esse a sciolo quodam, qui unius alicuius cum dis certaminis allaturus exemplum invita Minerva Titanorum meminerat. Iam hoc assuto panno resecto, reliqua quae supra posui, verba sponte in troch. tetr. catal. coeunt:

To. Quíd ego faciam? dísne advorser, quíbus sat esse nón queam?

ut hic quoque appareat quam sit metrum certissimus emendationum aut confirmator aut refutator. Similem, sed breviorem glossam deprehendisse mihi videor Bacch. 4, 1, 9

Fores pultare nescis. Ecquis his in aedibust,

ubi varia temptaverunt critici, quum simplicissimum esset reliquis immutatis fores ut ex interpretatione natum delere: pultáre nescis. Écquis his in aédibust. Frequens enim est pultare absolute positum cf. Asin. 2, 3, 2. Mostell 2, 2, 15 ib. 4, 6, 39. Poen. 5, 3, 1. — Ceterum ego et ergo vocabulorum confusio plurimis locis evenit; Pers. 1, 3, 105 Θs ergo pro ego; ib. 2, 2, 31 ΘΞs eodem errore laborant. Contra ego pro ergo Θs exhibet Pseud. 4, 1, 10 et ΘΞs ib. 4, 6, 22. 5, 2, 6. Hinc Bacch. 3, 6, 29 Díc quis est: nequam hóminis égo párvi pendo grátiam, ubi Herm. nuper emendavit: nam nequam ego hominis, hac leniore medicina hiatum removebis: nequam hominis ergo etc. Ergo enim plerumque apud Plautum est: in der That. Correptae particulae haec certa quidem exempla exstare videntur: Mil. Glor. 4, 2, 18. Mercat. 5, 4, 10. Pseud. 5, 2, 16. Poen. 4, 2, 59. 72. Pers. 2, 2, 3. Stich. 5, 4, 45. Trin. 4, 2, 82:

Háne continuo uxórem ducam. Quíd ĕrgo hanc dubitas cólloqui.
Vérum hic dicit. Tibi ĕrgo dicit. Éo illud est verúm magis.
Quíd ĕrgo dubitas dáre mi argentum? Iús petis, fateór. Tene.
Quíd ĕrgo dubitas quín lubenter túo ero meus quod póssiet.
Fácile. Fac ĕrgo id fácile noscam, ut ílle possit nóscere.
Áio enimvero. Quíd ĕrgo dixi? Ego récte apud illam díxero.
Áge ĕrgo, observa: sí peccassis, múltam hic retinebo íllico.
Né male loquere absénti amico. Quíd ĕrgo ille ignavíssumus.

1. Ego hanc Vulg. et libri. Lindemannus ego post uxorem posuit; mihi delendum potius videbatur. 2. dicit hic — verum est Vulgata. Verborum ordinem a me restitutum dederunt ΘΞs. v. 8. Facillima quidem transpositione quíd ille ergo Reizius (quem sequitur Herm.) removit correptionem, sed nescio an non recte: si enim in reliquis versibus Plautum corripuisse concedimus, cur in uno propter corrigendi facilitatem idem negemus? Eadem inconstantia est Lindemannus, qui patienter tulit in Milite, quod Hermánno praeeunte in Trinummo correxit.

Quum deinde Sagaristio retulisset, timendum esse, ne latus Toxili ulmeis catapultis transfigatur, magnifice se infert:

v. 29. Básilice agito Eleutheria. Sa. Quid iam? ‖ To. quía erus peregre est.
Sa. aín tu peregrest?

Haec Vulg. duobus versibus descripsit, quae uno comprehendenda erant. Verbum Eleutheria semel praeterea in Stich. 3, 2, 21 legitur, deam libertatis significans et accentum in antepaenultima habens, quem et hic esse verisimile est. Hinc prior pars huius troch. tetr. acat. ita recitanda est:

Básilice agíto Eleutheria. Quíd iam?

cui rationi sane obstat et proceleusmaticus in prima sede pro trochaeo positus et insolitus accentus agíto: utrumque tamen consulto Plautus instituisse potest, ut numeris quoque effrenata servilis libido exprimeretur paratissima ad potandum comissandumque ero absente. Cui

opinioni inde aliquid fidei accedit, quod in simili argumento non minus insoliti accentus reperiuntur Stich. V, 4. Quodsi cui haec ratio non satisfecerit, eum scribere iubeo:

Básilice ágo Eleuthéria. Sa. Quid iam. To. quía erus peregre est. Sa.
aín tu peregrest?

Pergit Toxilus v. 31:

Si tute tibi bene esse potes pati: veni, vives mecum.

ex quibus verbis facillime iambicum septenarium efficias, nisi unum obstare videatur. Semper enim in quamvis frequente numerorum permutatione causa mutationis inveniri potest, recteque Bentleius ad Ter. Hec. 3, 1, 4 hanc legem statuisse videtur, plenum trochaicum excipi debere versu ab arsi incipiente i. e. trochaico. Unde sequitur ut et hic de quo agimus versus in trochaici formam redigendus sit. Cuius verba si paullo accuratius perlustramus, plane non assequimur vim pronominis t u t e, cuius loco simplex t u exspectatur. Hinc hanc scripturam propono:

Sí tu tibi bene ésse potis es té pati: veni, víves mecum

quae si probata fuerit, accedat hoc exemplum iis quae congessit Lindem. ad Mil. Glor. 3, 3. 52 ut evinceret, p o s s e cum accusativo et infinitivo saepius apud Plautum iungi. — A versu 31 ad 34 numeri continuati sunt ita ut versum in thesin exeuntem excipiat ab arsi incipiens et contra: nondum persanatus est v. 35 qui in Vulgata sic legitur:

Sa. Quídnam id est? To. Haec díes summa hodie est, mea amica sitne libera.
An sempiternam servitutem serviat etc.

Priore parte integra adventicio vocabulo posterior oneratur ita mea quidem sententia scribenda: s í t n e a m i c a l í b e r a. Iam continuatur numerus usque ad v. 41, iambica clausula varia haec metrorum genera excipiente. v. 37 ex ΘΞs verborum ordo d e s m i h i (Vulg. mihi des) suscipiendus est pariter atque ex solo Θs forma s e s c e n t o s, quam solam Plautus novisse videtur. Cf. Parei not. crit. ad Aulul. 2, 4, 41 „sescenta] Ita ferme ubique scribitur in vetere Codice, non sexcenta" et Ritschelii nota ad Bacchid. 4, 9, 111. Post clausulam sequuntur trochaici, et ab Hermanno et ab aliis emendatius aliquanto scripti, deinde iambici septenarii integerrimi, si recesseris a postremis duobus in Vulg. sic exaratis:

48. Sa. Quaeré tamen: ego item sedulo, si quid erit faciam ut scias.
To. Obsecro, te resecro, operam da hanc mihi fidelem. Sa. ah, odio me enicas

quorum in priore u t i saltem scribendum fuit hiatus removendi causa; sed ΘΞs Mssp. f a c i a m omnino ignorant, i a m praebentes, quapropter in veteribus editionibus, quas Weisius secutus est, non male f a x o insertum: s i q u í d e r i t f a x o i a m ú t s c i a s, nisi quod Madvigii ratio [6]) in opusculis academicis alteris proposita s c i e s requirebat. Sed cum neque fa-

[6]) cui tamen non raro Mss. librorum fides obnititur. Bacch. 4, 8, 23 f a x o d i c a t in omnibus Mss. esse videtur. Pseud. 4, 1, 39 f a x o d i c a s in Mss. sais esse testatur Pareus. Most. 5, 2, 12 e g o f e r a r e f a x o editiones: tacet Pareus. Truc 2, 8, 13 e g o f a x o d i c a t Vulg. Θs. Most. 1, 1, 65 Vulg. f a x o a f f e r a t. Trin. 1, 2, 24 f a x o h a u d s c i a s ΘΞs quibus hic accedit Ambrosiani fides plurimi facienda. ib. 4, 2, 40 Vulg. f a x o s c i a s. Men. 3, 3, 16 f a x o r e f e r a n t u r. 4, 2, 81 f a x o s c i a s. 1, 2, 4 f a x o v i s a s. Amph. 2, 1, 42 f a x o e x p e t a n t. 2, 2, 17 f a x o s i t. Asin. 5, 2, 26 f a x o o p p r i m a s. Quorum versuum tamen nullus ita comparatus est, ut non per metrum possit continuo cum futuro permutari coniunctivus: plurimi tamen sunt versus, in quibus futurum et a codd. traditum est et permutari non potest cum coniunctivo: quapropter, nisi utraque loquendi ratio Romanis usitata fuerit, valde inclino in Madvigii sententiam adoptandam, quam adoptavit Hermannus, ut emendatio eius in Bacchidum versu ostendit.

eiam neque faxo in Mss. reperiatur,sequens autem versus uno verbo plus oneratus esse videatur, prioris inopiam divitiis posterioris levandam existimo, quo pacto et librorum scriptura fere integra servari potest:

Sa. Quaeré tamen: ego item sédulo. Si quíd erit, iam ut scias. To. óbsecro.
Te résecro, da operam hánc mihi fidélem. Sa. ah, odio me énicas.

Sagaristionis sane faxo vel simile quid additur orationem Toxili instantibus precibus interruptam cogita. Certe obsecro resecroque forte Aulul. 4, 7, 2. 3 eodem versus loco invenitur, ut obsecro versum claudat, resecro incipiat. Praeter da transpositum nihil mutavi; hiatus enim post interiectionem non potest offendere. Etiam in v. 52:

Sed récipe te quam primúm potes: cave fúas mi in quaestióne.

uno verbo plus est; quapropter Weisius edidit: sed recipe te quantum potes, per se haud improbabiliter, nisi quod Plautus potest maluisset: levior tamen est mutatio, si te expungimus, cum verbi recipere sine se certum exemplum exstet Mercat. 2, 4, 30:

Dómi maneto me. Ch. érgo actutum fáce cum praeda récipias.

quo loco ut in $\Theta\Xi$s est praedā, quia obiectum desiderabatur, ita in Persae versu te intrusum est.

Insolens est hanc scenam senario claudi, magis etiam offendimur ipsa senarii vitiositate, cuius haec scansio intolerabilis est:

usque éro domi dum excóxerŏ lenoní malum.

quum potius quisque Plautinis numeris assuetus haereat auribus monentibus in hac iambici septenarii caesura: usque éro domi dum excóxero, qualis est Rud. 2, 2, 24. Si vídero, exquisivero: faciét me certiórem, ad cuius exemplum hunc fere Persae versus exitum exspectes: malúm lenoni mágnum, praesertim cum qui antecedunt versus, et ipsi sint iambici tetr. catall. Senarium, si vel tota scena hoc metro conscripta esset, non ferendum existimarem, nam anapaestus pro trochaeo ut rarissimus est in senariis, ita vel maxime recitantem turbat vocabulum una cum pede finitum, ut ad sequentis pedis arsin novo quasi saltu et impetu opus sit. Omnino autem o finalis verborum in his vulgaribus metris plerumque longa est, quapropter Weisius Merc. 1, 2, 70:

Hóc quod te interrógŏ responde. Ac. Quín tu si quid vís roga.

recte hoc delevit, ut hanc mensuram iniret: quód te intérrogó, nisi forte ex responsione Acanthionis praestet: hóc quod te rogó. Non minus recte Bacchid. 1, 1, 52 Herm. et Ritsch. scripserunt: dá qui béne sit, cum Vulg. habeat: dátŏ qui etc. Male etiam habet vulgata et mensura et scriptura in Poen. 4, 4, 65:

datŏ míhi pro-offa sávium, pro-ósse linguam obícito.

Quis est quin videat, hiatu gemino remoto, ita scribendum esse:

dató mihi pro offa sávium, proque ósse linguam obícito.

Vertam me nunc aliquantisper ad Epidicum, quam fabulam Iacobus separatim edidit ante hos duodecim annos laudabili sane consilio, sed ut coniecturis aliquot sagaciter excogitatis magis acumen praestiterit quam peritiam Plautinorum metrorum et prosodiae, quarum rerum ignoratione non potuit non incidere vir elegantissimae doctrinae in summos errores, quorum nonnullos Lindemannus correxit in censura eius libelli. Leve quidem est, quod dece-

ptus Δp scriptura scribae errore [7]) orta legationem pro legionem hos quatuor trochaicos versus 1, 1, 44 — 47 posuit invenustissimos:

Nám certó priúsquam hinc ád legátiónem abiít domo,
Ípse mandavít mihi multis, áb lenone ut fídicina,
Quám amabat, émeretur sibi; id ímpetratum réddidi.
Th. Útcunque in alto véntust, Epidice, éxin velum vórtitur.

In quibus praeterquam quod legationis mentio prorsus hic inepta et absona est, priusquam praeter consuetudinem Plauti tribus syllabis [8]) effertur, cum sit ubique duarum tantum cf. Fleckeisen. exercitatt. Plautt. p. 30. Deinde non magis hiatus v. 46 ferri potest quam insolitus tribrachys utcúnque. Tum hae duritiae, tum ex coniectura additum multis, ut alia permulta praetermittam, satis opinor arguunt, verum metrum editorem non assecutum esse, quod sic restituo:

Nam cérto priusquam hinc ád legionem abiít domo,
Ipsús mandavit mi, áb lenone ut fídicina,
Quam amábat, emeretúr sibi, id ei ímpetratum réddidi.
Th. Uteúnque in alto véntust, Epidice, éxin velum vórtitur.

Quorum versuum prius par senarii sunt, alterum iambici pleni. Nihil mutavi nisi quod ipsus pro ipse dedi. Praeterea ei v. 46, quod Vulgata praebet, servandum iudico, etsi in Mss. deest; non facile enim inveneris impetratum dare vel reddere sine dativo personae, cf. Bacch. 2, 2, 20

Egon út, quod ab illo me áttigisset núntius,
Non ímpetratum id ádvenienti ei rédderem?

